



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 35. Perkinus in asylo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1498.

§. XXXV.

Perkinus in asylo.

*Bacon. ibid.
Polyd. Virg.
hist. Anglic.
lib. 26.*

Perkinus soluta Exoniensi obsidione, Tawtonium profugit, ac sex, aut ferme septem suorum millia, quibus ejus exercitus constabat, in aciem disposuit, cum Henrici copiis, quamvis duplo superioribus, certaminis discrimen expecturus: Verum subito terrore perculus, ignominiam suam in Bowleyensis monasterii latebris occultare decernit; unde cum nonnullis ipsi addictis horum Religiosorum numero sese adscribi postulavit, ut sub tutela hujus loci impunitatem criminum adipisceretur. Fugientes equidem Aubneyus cum trecentis equibus insequabatur: ast ejus solertiam horum celeritas elusit. Nihilominus Religiosi fugitivos Regiis manibus committere jubentur, quibus parere reluctantibus milites loci sanctitatem violare veriti, duntaxat monasterium circumcirca militibus cingunt, ut Perkino fraudum artifici elabendi opportunitatem præriperent: Interea Perkini exercitus, ductore suo destitutus, Regis clementiæ sese subjecit, qui cunctis belli Ministris, atque militibus vitæ gratiam impertitus est, exceptis nonnullis, qui ad terrorem

rem ceterorum laqueo suspensi perfidiæ poenas dederunt. Sæcul. XV.
A. C. 1498.

§. XXXVI.

*Perkinus deditioe facta a Rege
Turri inclusus.*

Henicus Perkinum capere desperans, eidem vitæ veniam offert, si voluntaria deditioe sese ejus arbitrio commissurus esset. Perkinus omni alia ope destitutus, undique cinctus, ac evadendi opportunitate interclusus conditionem acceptat: Ergo sub valido militum præsidio ad aulam deducitur, nec tamen ad Regis alloquium admittitur, sed equo impositus Londinum defertur, populi cachinis, atque insultibus publice expositus: demum eidem scripta fraudum suarum confessio traditur, quæ postea ubique divulgata est: In ea singula Perkinini fata a primis ejus incunabilis suo ordine recensentur, nec tamen sigillatim conspiratio, illiusque auctores enarrantur, caute etiam ipsum viduæ Burgundicæ Ducissæ nomen supprimebatur. Postea, quamvis necdum rumor de Perkinide detentione ad aures Comitissæ de Huntley ejusdem conjugis pervenisset, mox tamen illam, ne fuga dilaberetur, Henricus comprehendi jubebat, illa vero ad montem S. Michaelis Corisopotum opportune